



Illustri ac prestantissimo Viro

DOMINO * * *

IACOBUS GOLIUS, S.

NON existimo quemquam esse, Nobilissime Vir, quem non mirificè affecerit lecta dissertatio tua, quam de Organi Musici in templis nostris usu nuper emisisti. Quem autem non moveat expressa in eo scripto, quam & ubique commonstrare soles, gratissima illa ingenii, doctrinæ & virtutum symphonia? Aut quem non permoveant, quæ rei ipsi, rectè prudenterque, ut quidem mihi videtur, à te definitæ ac distin-

distinctæ, gravissima addidisti rationum momenta? Quapropter nequivi persuadere mihi, in argumento tam plano nunc & plenè tractato, privati alicujus judicium vel assensum, saltem meum, aliquo haberi loco vel seriò requiri posse.

Sed quemadmodum cœlestis pietatem animi testaris, cum inter continuas curas, Celsissimi Principis negotiis ex officio intentas, domus Dei zelo flagras, &, quod vivum ejus membrum decet, corpori in commune prodesse studes: ita generosæ mentis humanitatem & simul modestiam probas, magnoque publicè exemplo commendas, cum aliorum quoque hic judicia deposcis, quibus submissum cupias tuum.

Multum equidem ego ipso mu-

E 3

nerè

70
nere tuo lætatus fui, quo me quo-
que inter cæteros decorare Tibi
collibitum fuit. Neque id cui-
quam gratius aut honorificentius
accidisse puto: siquidem visus es
veteris erga me benevolentiaæ affe-
ctum ceu novo pignore quodam
testatum mihi confirmatumque
voluisse: illum dico, quem ut ab
ineunte ætate nunquam non per-
spexi: ita in primis felicitatis meæ
partibus deputavi semper; & quo
meritis meis majorem agnosco, eo
gratioris animi reverentia colo.

Non tamen propterea quid sen-
tirem rogatus, ad palpum vel adu-
lationem, à quibus abhorreo,
quicquam respondi, quod ab inti-
mo animi sensu discreparet. Nam-
que ante triennium, cum in urbis
hujus Ecclesia senioris munus su-
stine-

stinerem, eandem, in eadem fere
 causa, sententiam professus fui:
 quando nempe ordinis illius judi-
 cium quoque audiendum Magi-
 stratus censuisset, antequam Or-
 gani concentus cum Psalmodia fo-
 ciandus esset.

Quod autem super ea re nuper
 coram te declaravi verbis, exhibe-
 re scripto non alia distuli de causa,
 quam quæ superius à me allata
 fuit: ne quid affectare cupiens, quo
 jam præclarè defunctus esses, mi-
 nus quam actum agerem, aut ut
 anser inter cygnos strepere vide-
 rer. Ut tamen complendo, quod
 in me receperam, officio aliquid
 tentarem, ingenio tuo dignius at-
 que observantia mea, de Orientis
 Musica & Poësi, quibus artibus,
 ut liberaliore alia quacunque ma-

gnopere delectaris & excellis, ex
gentis ipsius monumentis trans-
ferre quædam in animum induxi:
ut præfixa iis epistola mutuari in-
de aliquid posset, quo se tibi ma-
gis commendaret, & per se alias
careret. Neque hoc præter rem fu-
turum videbatur: siquidem Musi-
cum quid in cultu Dei usurpare il-
le etiam orbis sacrum & solemne
habet: hoc quippe de iis unum est,
quæ omnium gentium religioni
communia quodam modo censeri
possunt. Verùm instituto illi exe-
quendo plusculum otii, & ad re-
rum quarundam obscuritatem,
quibus nova & prima quæque ob-
noxia esse solent, nonnihil lucis
hactenus desideravi.

Atque ita paulatim contigit me
studium probare volentem negle-
cti

et i evafisse reum: neque tamen ite-
 rum ac iterum protracti responsi
 moram meliore forsan aliquo
 mentis meæ fymbolo postliminio
 pensari, quam quod ante verbis à
 me collatum fuit. Quoniam verò
 quantuluncunque illud videre pro
 benevolentia tua gratum duxisti;
 quidvis in me hac parte desiderari
 quam obsequium malim. Ani-
 mum igitur, ut spero, de cuius erga
 te fide atque integritate dubitare
 nolis, culpa hic absolves, reliquam
 verò omnem pro humanitate con-
 donabis.

Quod quidem ad ipsa templa
 spectat, salvo aliorum iudicio ita
 videtur mihi: quamvis solum Hie-
 rosolymitanum ex Dei instituto
 quondam sanctum fuit; cætera
 verò, extra Dei cultum, qui in iis

E s pera-

peragitur, nihil in se sacri habent: æquè tamen nunc quam olim eidem illi officio, cultui nempe Dei, ut Petrus Martyr docet, dicata sunt: arbitrio inquam eorum, quibus loci publici est potestas, cum sacra gratiarum actione precibusque, pro concessio Dei munere & salutari usu. Cum igitur ubique servandum loci decorum recta præcipiat ratio, civilis saltem quædam Templi reverentia esse debet, non minùs, quam Prætorii est sua. Et fanè Apostolico canoni, ut omnia ordine decenter atque ad ædificationem fiant, repugnare videtur, in eodem Templo, statis velut horis & publicè, brevi temporis spatio excipere invicem, & tantum non committi res toto distinctas cœlo: sanctas nimirum & vanas,
Dei

Dei cultum ac mera hominum
 oblectamenta, citra animi cultu-
 ram aut Reipublicæ emolumen-
 tum: ibidem modo Spiritus sancti
 interdicto & comminatione igna-
 va prohiberi otia ac inanes fermo-
 nes; & mox quasi campum illis a-
 periri quendam, fomenta & sola-
 tia præberi. Utique caveri qui-
 dem vitarique, prout debet, super-
 stitio omnis potest; etiamsi con-
 trarii abusus, ἀσχημοσύνης καὶ ἀταξίας,
 quicquam non succedat.

Pro Organi verò Musica sacris
 Ecclesiæ cantibus attemperanda,
 nolo movere Apostoli ad Ephesios
 verba, ἄδοντες καὶ ψάλλοντες : quasi de-
 clinandæ melius tautologiæ ergo
 per posterius intelligenda videat-
 ur aliqua instrumenti Musici con-
 trectatio; præsertim cum τὸ ψάλλειν,
 &

& quasi ψαῶδν, ut Grammatici volunt, id ipsum propriè notet, & vix à quoquam scriptore, quod sciam, ad illud usque ævum aliter sumptum fuisse videatur. Verùm satis fuerit dixisse, haud quaquam ejusmodi Musicam pro peculiari aliqua censendam cultus divini parte, aut novo Ecclesiæ ritu: sed duntaxat pro adjumento habendam aliquo, ut receptus Ecclesiæ ritus, de cujus observanda constitutione, sive ut Apostolica, sive saltem primi sæculi antiquissima, inter omnes convenit, in Ecclesia decoro suo atque eutaxiâ constet; & quod ore animoque faciendum, certius meliusque à singulis peragatur. Etenim nemo ignorat, normâ quâdam & velut habenâ opus esse, ut populi totius cantus, in
 magna

magna præfertim variaque multitudi-
 tudine & difficilioribus odarum
 formis convenientissimè regatur;
 ne quid ibi turbidum & inæquale
 emineat, atque adeò absonum &
 deforme, à quo sensus & ratio, id
 est, totus homo abhorret. Id ipsum
 & innuisse D. Paulus videtur, cum
 ad Col. 3. 16. inquit, ἐν χάριτι ψάλ-
 λοντες, licet hoc etiam referendum
 ad cantici ipsius sensum & verba.
 Ad eam verò rem non semper suf-
 ficere elatiorem præcentoris vo-
 cem, in nostra saltem Ecclesia, usus
 docet. nec video quare & ipsa ar-
 tis præstantissimæ vis, quæ in com-
 ponendis ad honesta animis aliàs
 plurimum potest, cum modo ad-
 hibita hic locum habere aliquem
 non possit: ita ut alia in aliis sacris
 rebus externa media habent suum.
 Ideo.

Ideoque præclaris Helvetiorum Ecclesiis, quæ ordine, disciplinâ & morum gravitate excellunt, majoris cujusdam efficaciam Musicam in Psalmodia, ut accepi, adsciscere visum fuit. Tigurina addidit chororum; Basiliensis Organum; quin Bernensi ductiles placuerunt tubæ. Neque contra ejusmodi Musicæ Organicæ usum, cum canentis populi seu Ecclesiæ totius vocibus junctæ, quicquam facere videntur argumenta, quibus instrumenti cujusque cantum ab Ecclesia excludendum contendendi solet. Longè enim hinc diversus erat apud populum Judaicum Organorum ille apparatus, quo velut infans elementis mundi involutus, demulcendus esset. illis quippe sacer fuit ipse sonus, & pro animo

mo tantum non aures erant : & illa Levitarum Musica haud multo magis juvari videbantur ad verum mysterii, quod subesset, cultum, quam matris psallentis mentem assequi & sequi solet infans.

Neq; vero Judaizare protinùs dicendus fuerit Christianus, si quod olim fortè ad Judaicam ceremoniam pertinuit, in ritu Christiano commodi alicujus ergò adhibeat juxta proprium suum usum, quem naturæ virtute semper habuit, & quoque nunc habere potest. Ita namque tenendum puto, res omnes in eum à Deo finem institutas, cui natura sua comparatae sunt, atque conducunt. Paschatis in Ægypto celebrati religio postulabat, ut comederetur lumbis succinctis, cum baculo in manu,

&

& calceis in pede. Num igitur in Cœnæ Dominicæ sacramento illicitum fuerit earundem rerum quicquam usurpare ad convenientem inibi commoditatem, quam præstare possint? ut quis haud impeditus accedat, infirmior se sustentet, pedem à soli noxa inoffensum fervet? & si quæ talia conducant omnibus, quare non omnes faciant, quod singulis licet? non audere parta uti libertate, si quando expediat aut juvet, non minus servitutis pars est, quam ejus quod per se indifferens ac liberi usus fuerit, necessariam imponi observationem. Neque crimini vertendum, quod Organi usus de quo quæritur, ad Dei cultum & gloriam refertur: cum eo velut ad ultimum finem, cuncta

cuncta tendere debeant, & referri. Ne autem illic videatur ulla esse ceremonia, aut ritus sacri religio, quam semper niti oportet fide ac verbo Dei, hoc quidem satis est, in ejusmodi sono nec sanctimonie quicquam, nec peculiarem Dei observantiam collocari; nec symbolicum illi aliquid, aut, quam natura non habeat, tribui virtutem. Neque ea res in se gravior, aut majoris ad scandalum periculi videtur, quam, quod & ipsum Judaici apparatus fuit, coronaria templi candelabra luminibus impleri, ut in crepera seu dubia luce facilius distinctiusque prælegatur sacrum Dei verbum, aut aliqua Liturgia. Ejusmodi igitur, qualem erudita cum gratia descripsisti, instrumentalis Musicæ usum, non

F

tan-

tantum, ut adiaphorum quid, Ecclesiae Christianae licitum esse arbitror; verum etiam, quod in talibus rebus Apostolus unà requirit, expedire ac prodesse. Nimirum, ut cum majore ordine ac decoro, apud nos saltem, Psalmi atque aliae sacrae canantur Odae, &, quoad humanitùs fieri potest, magis efficiantur ἐπωδαὶ τῶν ψυχῶν. Cui quidem rei aptissimum videtur esse Organum, quod absoluto ob præstantiam nomine Organum dici solet? judicio velut Apollinis hîc cujusdam tuo luculenter commendatum. Hoc quippe non modò ceterorum penè omnium facultatè pollet; sed etiam gravitate peculiari quâdam & decoro suavitatem modulaminis ita temperare novit, ut levitatem omnem & mollitiem au-
res

83

res inaniter pascentem, facillimè
excludat. Atque ita dum cœlestia
canentium voces quadam vi sua ad
eurythmian & æqualitatem infle-
ctit, cum iis quasi coalescens, ani-
mos, uti videtur, magis excitat ad
studium cantatæ rei, excitatos in
ejus meditatione firmiùs detinet,
ejusdemque amore & desiderio ac-
censos quasi sursum rapit. Neque
verò, ut opinor, dixerit quisquam
compositos sensuum & affectuum
motus, penetrantes in mentem ho-
nesti studiosam, ipsiq; cogitatio-
nibus utcunque aptatos, cum ubi-
que alibi multum valeant, in sacris
& divinis rebus, nihil prorsus ju-
vare posse: cum ipsa Dei gratia non
destruat naturam, sed in ordinem
reducat perficiatque, & quoque iis
rebus, quas homini indidit, ut me-

F 2 diis,

diis, utatur ad hominis salutem. Si-
quis munere præcentoris ita fungi
possit, ut Organi illius vicem insu-
per expleret, an non expetenda vo-
cis ejusmodi copia, atque aliis om-
nibus præferenda foret? Nunc ve-
rò, cum tale quid haud facilè & ne
quidē dari queat, quare, quod pro-
ximum est, ad præcentoris vocem
pro complemento non assumatur
parabilis admodum ejusdem Or-
gani concentus, sonoq; ejus sonus
omnium non juvetur? Convenien-
tiore hac Musicae utriusque, voca-
lis & organicæ, societate efficitur,
ut argumenta, à ratione ac vi natu-
ræ petita, quibus sanctissimi quiq;
viri vocalem, in sacris usurpatam,
cómendarunt, efficaciam etiam plus
habeant pro sententia nostra; qui-
bus verò Organicam prohibuerunt,
haud-

haudquaquam officere nobis vel
 adversari videantur. Gravissimum
 fortè fuerit Justini Martyris, Patris,
 omnium qui extant, antiquissimi,
 testimonium, quæst. 107. *ἔ τὸ ἀσση ἀ-*
πλω̄ς ἐστὶ τοῖς νηπίοις ἀρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μὲ ἀψύ-
χων ὀργάνων ἀσση. Sed tum ex sequenti-
 bus ejusdem verbis, iisque quæ à Te
 scripta, & à me superius repetita
 fuerunt, interpretatio commoda,
 & responsio ultro sese offert. Nam si
τὸ μὲ ὀργάνων ἀσση sit instrumentis ca-
 nere (non verò una cum iis vel ad
 ea) sicuti præpositio illa subinde u-
 surpatur: haud aliud inde evinci po-
 terit, quàm quod tute assertum vo-
 luisti: simpliciter dictū tantum, id
 est, vocalē convenire, non verò so-
 litarium Organi ab illo separatum.
 Sin autem altero intelligendum
 sensu, ut nempe organi inanimati

cantum simplici, sive vocis humanae cantui conjunctum reprehendat, haud spectaverit S. Pater ejusmodi ordinatum, de quo agimus, Organi usum : sed quod homines puerili animo ducti instrumentorum apparatu inane, inutile & superstitiosum; vel leve & lascivum edebant: siquidem addit, *μετ' ὀρχήσεως ἢ κροτάλων*. Id ipsum autem in cantu absolute dicto sive vocali, si quando apprehendi contigit, æquè culpatum fuit: nec tamen propterea honestior ejus damnatus usus. Rebus verò illis, ob quas venerandus antistes ibidem paulò post simplicem eundem vocis cantum commendat, non tantum non incommodat junctus, qualem diximus, Organi concentus: sed etiam commo-
dum

dum & momentum haud leve afferre potest. Vel forsan aliæ rationes fuerunt, à personarum, quæ tum in Ecclesia, tum extra eam, essent, rerumq; ipsarum & temporum statu ac conditione petitæ, ob quas ejusmodi Musicæ usum tunc quidem Ecclesiæ non conducere judicatum fuerit. Iisdem verò circumstantiis in contrarium mutatis, nihil obstat quò minus eadem prudentia Christiana utendum suadere possit, quo non utendum ante statuerit. Hoc quippe eorum, quæ media & adiaphora dicuntur, natura postulat ratioque dicitat. Et ejusmodi rerum seu mutationum exempla in orthodoxis superiorum temporum Ecclesiis haud pauca extiterunt. Ita quoque apud nos aliquando Organi cantum su-

F 4 per-

perstitio & abusus invisum reddiderunt; feruentior ejus temporis pietas ac zelus, exterioribus humani juris mediis velut superior, iisdem ferè supersedere gaudebat, summâ ubique simplicitate contentus; quæ etiam, uti & quietiora omnia, persecutioni peculiariter conveniebant. Nunc cum pacem Ecclesiæ dederit Deus, perspecti dudum atq; exacti abusus fuerint, quidni honestâ libertate ad rerum quarundam usum sine periculo uti possit? Ingens nunc multitudo, & quidem imperitior quàm ante, confusioni magis obnoxia, majorem eutaxiæ curam atque operam requirit: animi verò prosperitate sopiti, ac tardiores facti quocunq; etiam modo excitari & impelli opus habent. Quamobrem mirum videri

89

videri minimè debet, qui facile
tunc relictus fuerit Organi usus,
nunc sacris mentis exercitiis de-
corè accommodatum in hac no-
stra, & vicinarum quarundam ur-
bium Ecclesiis haud difficulter re-
ceptum seu admissum fuisse. Opta-
tum quidem effectum & fructum
aliquâ saltem hæctenus parte ad
easdem inde rediisse, extrinsecus
quidem in toto corpore, sive con-
centu ipso, palam animadvertere
quivis potest: intrinsecus autem
in animo etiam se experiri com-
plures testantur. Nec infirmiorum,
qui inter nos plurimi, iique sim-
plices & pii, ulla hæctenus intellexi
innotuisse querelas, Politico-Ec-
clesiasticum hoc institutum ipsis
scandalo fuisse.

Quapropter cum regum om-
nium

F 5

nium

nium Deo gratissimus, & qui vero illū spiritu coluit, omnes Dei creaturas & cuncta humanæ artis Musica organa cantandis Deo hymnis psalmisque suis subsidio vocarit: equidem laudem & gratiam Magistratui deberi puto, si quis animo & munificentia faveat eorundē in Ecclesia cantui ritè ordinando & cohonestando; quoad in regno Christi simplicitas & modestia permittere, ordo & decorum requirere, omnia denique rerum momenta suadere videbuntur. Vbi quidem, sicuti nullibi non, infirmiorum præsertim conscientias cum cura consulendum: sed tali quoque, ut, quantum fieri queat, monitione, sive privatâ sive publicâ, & doctrinâ aliquâ iisdem succurratur. quod quidem esse præstabi-

stabilius videtur, ita scilicet medicinam fieri, quàm sequiora de rerum usu judicia, & quæ inde plerunque nasci solet, infirmitatem silentio vel assensu foveri. Ubi si illâ, quam dixi, ratione eximantur qui leviter sæpè scrupuli hærent, piæ animæ in rectiore judicio ac robore, quod semper optandum, proficere fortè haud parum comperientur.

Quoniam autem libertatem verius studiosam à te amari scio, non possum dissimulare, quod ex insigni tractatu tuo in mentem hîc mihi venit, & ad consensum me difficiliùs movere potest. Namque haud improbabili aut inconcinnâ ratione niti mihi videtur, quod Tibi placere aut probari nequit. Decalogi in Ecclesia tantum intelligo, quo

quo velut epiphonemate quodam
sacros plerunq; finire actus Eccle-
sia Gallicana consuevit. Namque
ibi fidelium quisque verbis Dei ac
præceptis affatur animam suam,
postquam præviis versibus ad at-
tentionem excitavit, eamque mo-
net & docet, atque omnes invicem
inter sese; additâ sub finem preca-
tione & submissi animi voto. Neq;
illud alienum videtur à plurium
Psalmorum norma ac exemplo, A-
postoli Pauli monitione ad Col. 3.
& Antiquorum instituto, qui san-
ctiora præcepta etiam carmine re-
præsentarunt, ut componentem se ad
eurythmiam animo facilius inscri-
bi & placere possent. Sed qui me-
liora semper doceri exopto, hasce
rationes meas & quicquid est reli-
quum subjicio vicissim iudicio tuo
ac

ac censuræ. Atq; ita tandem finem
facio, & veniam peto, quod posi-
tam mihi metam longius trans-
gressus tædio fortè ac molestiâ pec-
cavi in gravissimas tuas pro bono
publico occupationes. Et meritò
existimaveris haud operæ precium
fuisse meæ quoque sententiæ sym-
bolum in aliorum numerum co-
adoptare, quo recocta hæc in quam
oblata à Te nobis delicias depra-
vasse videri possum, apponeretur
crambe. Cum tamen me alterius
quoq; officii monueris in gratiam
Clarissimi Wendelini, ob ingenii
& doctrinæ dotes carissimi omni-
bus, pauca quædam adjicere liceat;
ne utriusque vestrûm desiderio &
officio meo diutius desim. Quæ
super problemate de accrescente
gravium motu ingenio ille & in-
dustriâ

dustriâ dudum invenit, æternę me-
 moriæ laudem mereri judico. &
 quoniam cum Galilæi inventis
 concordantia insigne veritati te-
 stimonium perhibent, demonstra-
 tionis suæ & plenioris tractatus
 editionem publicæ expectationi
 ac simul nominis sui famæ debet.
 Nec est quod Chronologicæ dia-
 tribæ impressionem diutius remo-
 retur spes & opinio, quam de Chro-
 nici Samaritani adjumento conce-
 pit. Perlustrare illud quondam me
 exorsum cum inusitati characteris
 tædium, tum aliæ occupationes
 prope à limine suspensum stite-
 runt. Nunc firmato animo totum
 à capite ad calcem evolui. quæ et-
 iam res inter cætera impedimenta
 effecit, ut tardius perficiam quod
 dudum præstandum fuit. Est verò
 Sama-

Samaritanorum illud scriptum li-
 bri Josue compendium quoddam,
 eodē etiam nomine insignitum, &
 variis gentis traditionibus interpo-
 latum; quas mirum quibusdam Ju-
 dæorum magistris tanto in precio
 haberi, ut non vereantur hīc sum-
 morum hostium fidē & autoritatē
 sequi. At toto illo opere ne verbum
 quidem deprehendere potui de an-
 nis Jubilæis; quorū inibi normam
 extare amicus speravit. De expe-
 titis ab eodem Ecclipsibus pauculas
 addo melioris notæ, cum diligen-
 tia atque industria observatas: su-
 spectæ fidei, aut potius *ἀνεπιστάτης*,
 & aliundè missas, utilius retineri
 suppressimique arbitror: ne tene-
 bras afferre pro luce, & remoram
 pro subsidio solertissimi viri labo-
 ribus injicere videar, efficiamque
 ut

terte me
 udico. &
 inventis
 eritai re-
 monit-
 tractans
 ctationi
 e debet.
 icæ dia-
 s remo-
 Chro-
 conce-
 lam me
 racteris
 tiones
 stite-
 totum
 qua et-
 limenta
 n quod
 Est vero
 Sama-

ut longiùs se subducat nobis quod
 in conspectũ prodire tandem sidus
 peroptamus. Hæc quidem omnia
 quantulacunque sunt, ubi plu-
 ribus verbis vix quicquam aut
 nihil boni collatum novi, æqui bo-
 nique consule, & me, quod unicè
 expeto, nihilominus amare perge:
 qui tibi & illustri progeniei ac fa-
 milia tuæ, ævi patriæque decori,
 majorem quam exprimere possim
 amoris affectum, ampliora quam
 præstare queam studia officiaque,
 totum denique animum addixi.
 Dabam Lugdun. in Bat. v. Sext.
 clo Io c xli.

Vir